DIE IV. JULII.

MISSA

IN FESTO

S. JOSEPHI CALASANCTII

CONFESSORIS.

Introitus Ps: 33. v. 11. VEnite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.

Gloria Patri &c. Venite filii &c.

Orémus

DEUS, qui per Sanctum JOSEPHUM Confessórem tuum ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ, ac pietàtis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es; præsta quæsumus, nos ejus exémplo, & intercessióne ita fácere, & docére, ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum &c.

Commemoratio SS. Ap: Petri & Pauli.

Léctio Libri Sapiéntiæ.

Cap: 10.

JUstum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi Regnum Dei, & dedit illi sciéntiam Sanctórum, honestávit illum in labóribus, & complévit labróres illíus. In fraude circumveniéntium illum ádfuit illi, & honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum; & certámen forte dedit illi, ut vínceret, & sciret, quóniam ómnium poténtior est Sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed à peccatóribus liberávit eum, descendítque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum Regni, & poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant; & mendáces osténdit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritátem ætérnam Dóminus Deus noster.

Graduale Psal: 36. Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium

℣. Lex Dei ejus in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus ejus. Alleluja alleluja.

℟. *Jacob. Cap: 1.* Beatus Vir, qui suffert tentationem, quóniam cum probatus fuerit, accipiet corónam vitæ. Alleluja.

✠ Se-

✠ Sequéntia S. Euangélii ſecúndum Matthæum. *cap:* 18.

JN illo témpore: Acceſſérunt Diſcípuli ad Jeſum dicéntes: quis putas, major eſt in Regno Cœlórum? Et ádvocans Jeſus párvulum ſtátuit eum in médio eorum, & dixit: Amen dico vobis, niſi convérſi fuéritis, & efficiámini ſicut párvuli, non intrábitis in Regnum Cœlórum. Quicumq; ergo humiliáverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in Regno Cœlórum, & qui ſuſcéperit unum párvulum talem in nómine meo, me ſúſcipit. Credo.

Offertorium Pſ: 10. Deſiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.

Se-

Secreta.

ALtare tuum, Domine, muneribus cumulamus oblatis, ut ejus Nobis fiant ſupplicatione propitia, cujus Nos donaſti patrocinio adjuvari. Per Dominum &c.

Præfatio de Apoſtolis.

Communio. Marci Cap: 10. Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium eſt enim Regnum Dei.

Poſtcommunio.

SAnctificáti, Dómine ſalutári myſtério quæſumus, ut intercedénte Sancto JOSEPHO Confeſſóre tuo, ad majus ſemper proficiámus pietátis increméntum. Per Dóminum noſtrum JESUM Chriſtum &c.

DECRETUM

SAnctiſſimus Dominus Noſter Clemens Pap. XIV. ad ſupplices complurium Epiſcoporum, nec non P. Procuratoris Generalis Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum preces, Officium de comm. Confeſſoris non Pontificis, cum Oratione & Lectionibus Secundi & Tertii Nocturni, ac Miſſa propriis, Sancti Calaſanctii à Matre Dei dicti Ordinis Fundatoris, aliás à Sac: Rituum Congregatione approbatis, ab omnibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, utriusq; Sexûs Chriſti Fidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, quotannis die vigeſima Septima Auguſti, ſub ritu diplici minoris recitari, ac reſpectivé celebrari præcepit. Die 19. *Auguſti* 1769.

REGNI POLONIÆ & MAGNI DUCATUS LITHVANIÆ.

SAcrorum Rituum Congregatio enixis precibus, Sereniſſimi Regis Poloniæ, Reverendiſſimorum Archi Epiſcopi Gneſnenſis Primatis, non nullorumq; Epiſcoporum præfati Regni, etiam Sacræ Congregationi porrectis, ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Albani Epiſcopi Sabinenſis Ponentis, benignè annuens, conceſſit & Feſtum S. Joſephi Calaſanctii Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Fundatoris cum Officio & Miſſa propriis, jam ſub die 19. *Auguſti* 1769. *Eccleſiæ Univerſali, die* 27 *ejusdem Menſis Auguſti celebrandum, in poſterum ab omnibus Chriſti Fidelibus, tam ſæcularibus quàm Regularibus, utriuſq; Sexûs, qui in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithvaniæ ad Horas Canonicas tenentur, ad diem quartam Julii poſſe transferri.* Die 9. Decembris. 1769.

Fl. Cardinalis Chiſius Præfectus.

V. Macedonius S.R.C. Secretarius.

Romæ MDCCLXIX. Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

Jmprimatur, JGNATIUS BIENKOWSKI C. C. C. Judex Surrogatus.